

H. 9

IN CHRONICON HELDVADE- RIANUM.

MOs fuit antiquis scriptoribus atq; Poëtis,
Fortia clarorum pandere facta virum.
Græcorum virtus sic est celebrata per orbem
His quod scriptorum copia magna fuit:
Sic quoq; ROMANIS aderant qui carmine iusto
Magnanimum canerent fortia facta Ducum.
Et fuit haud facinus modo cum virtute peractum
Quod non scriptores laudibus eveherent.
Sed quando & Cymbri cœpere ostendere vires
Ingenuas animi corporis atq; sui,
Invenere suos scriptores atq; Poëtas
Qui calamo celebrent nomina magna pio.
Sic Heldvaderus cui nomen & omen honestum
Cymbria quem peperit nobilis ora tenet,
Ingentem meruit laudem ingentiq; labore,
Immortale suum nomen ad astra tulit.
Talis vive diu Pylio numerosior ævo,
Vive precor patriæ tempora longa tuæ,
Non te pœniteat studiis, pudeatq; laboris
Dum mutus liquidas piscis amabit aquas.

JOHANNES MONAVIUS
F.

